

GW. 525, 25.

B. m.



No. 507.



8
2
I



2042

5332

B. m. II, 478a

No. 510: 1317.

QK. 525, 23

IOANNIS BRENTII

THEOLOGI CELEBERRIMI

EPISTOLA
DE

EXILIO SUO

Nunc primum edita

ex Bibliothecâ

IOACHIMI MORSII



ROSTOCHI

Typis Hæredum Richelianorum.

ANNO CHRISTI

M. DC. XVI.



IOACHIMUS
THEOLOGUS

EPISTOLA
DE

EXILIO

Nunc prima editio

ex Bibliotheca

IOACHIMUS

ROSTOCK
Petr. Henschel Bibliothecarius
ANNO CHRISTI
MDCXXV



REUERENDISSIMO VIRO
D. GEORGIO MAIORI,
PROFESSORI THEOLOGICÆ

IN SCHOLA VVITEBERGENSI,

Dn. ac fratri suo amantissimo.

Salutem *ἐν τῷ κρείσσῳ*. Magnas ago tuæ humanitati gratias, quod hoc belli tempore nos frequentissimis literis, & pijs libellis consolata. Atq; utinam tam prosper fuisset belli euentus, quam speravimus, non tot pij homines maximis periculis fuissent obiecti: nec ego nunc exul. Sed quia Deo in præsens aliud visum, parendum, est voluntati eius. Postquam *ὁ ἀυβνεγιτωρ* abeunte principum exercitu, recepit Nordlingiam, Duncfelsbugel & Rotenburgum, necesse habuerunt & nostri cives sese dedere. Venit igitur *ὁ ἀυβνεγιτωρ* ad nos clemens, & quia meæ ædes, sicut & aliorum ministrorum Ecclesiæ, non erant solenni more in hospitium equitum, aut militum deputatæ, existimavimus reculas & chartulas nostras, nusquam tutiores fore, quam in nostris ædibus. Qua etiam ex re reliqui moti, deposuerunt sua quædam apud nos. Sed adueniente Carolo, nonnulli satellites irrumpunt in nostram plateam, & ubi non mox aperitur, effringunt fores. Ego tamen non eram domi; sed adueniens reperio satellites meas ædes, non manibus, sed pedibus & alabardis pulsare. Hic unus eorum, quia videbat me incolam domus, *A 2* obiectit

obiecit pectori meo alabardam, & nisi mox aperirentur fores, jam minabatur transfossurum me. Aperio igitur, sequuntur me nescio quot, propono edendum & bibendum quæ habeo. Interim conijcio literas & chartas in pulpita seris occlusa. Sed cum satellites ferocire inciperent, necesse habui familiam meam eijcere, quam & mox sequor, relictâ domo cum omni supellectile satellitibus. Sequenti die venit quidam Episcopus Hispanensium suo comitatu & asinabus, et eiectionis illis satellitibus, occupat meam domum. Mihi vero non amplius licebat domum ingredi. Episcopus igitur inuadit meam Bibliothecam, scrutatur omnes chartas & literas, et excutit singula, effractis etiam seris pulpitorum. In hac repertæ sunt quædam literæ amicorum ad me, & exempla literarum ad alios de his bellicis rebus, quæ nunc creant maximum mihi periculum. Accedunt etiam conciones, quas habui de hoc bello, quod defensio in hoc casu non sit iniusta, non sit violatio fidei. Alioqui enim non possemus Deum in hac militia invocare. Hac necesse mihi fuit Ecclesiæ exponere. Sed delata ad Carolum, & à Sycophantis, ut fieri solet, deprauata & exaggerata, exponunt me extremis periculis. Necesse igitur habui me primùm in secretiora urbis loca conferre. Cum vero Senatus urbis, non posset me defendere, jusserunt amici, ut exirem urbe, quò & mihi, & ipsis consulerem. Jam enim eò ventum erat, ut etiam cives sibi propter me metuerent, nec mihi cum familia pateret in totâ urbe, nisi angustus locus. Adeoq; re ipsa comperi, quid sit *Longè fecisti à me notos meos, posuerunt me abominationem sibi.*
Egredior

Egredior igitur urbe, in die Thomæ Apostoli, vesperi, relicta uxore una cum sex liberis, & in expectatione direptionis omnium facultatum. Egredior autem alienis vestibus, sordidatus magis, quam indutus, & totam ferè noctem in agris uno tantum comitante oberro, nec benè admodum aduersus tanta frigora munitus. Quid? annon putas hanc profectionem mihi morte ipsâ graviolem esse, dum reputo meorum nunc pericula, quæ amicis queunt exliteris eorum, apud me deprehensis accidere, nunc confiscationem facultatum, quæ etsi non magnæ sunt, tamen possunt familiam aliquamdiu sustentare. Nunc si bona confiscentur, cognosco miseriam familiæ meæ. Præterea etiam incursum in me Hispanorum, qui in viciniâ hærent, & in ijs agris, per quos mihi transeundum, vereor. Dicas igitur cur non exussisti, aut deposuisti literas in tutiorem locum? Respondeo Sperauimus non fore, quod in nostris ædibus accidit, quæ ad suscipiendos advenas non erant designatæ. Et habeo talia scripta loco *κευμήτις*. Et quid? certe quicquid, sine voluntate Dei factum non est. Et tamen in ijs nihil scriptum est, quod non sit ipsissima veritas, vel non possit apud æquum iudicem defendi. Sed *quid equitas in bello?* Si infelix eventus mihi imputandus est, accusemus & Davidem 1. Re. 21. quod diverteret in fuga apud Achimelech, & dederit occasionem, ut tot trucidarentur, & urbs vastaretur. Accessit aliud malum, quod tamen abolitum est diuinâ clementiâ. Misisti ad me argumentum libri cuius titulus & in scriptio est *Declaratio Caroli ad Barum* &c. Hic libellus
non

primum omnium ad me pervenit: sed venit neseio quō
casu ad nobiles, ac alios nostræ urbi vicinos & in-
fensos. Hi libellum benè perlectum & commacu-
latum tandem curaverunt mihi reddi, & sparserunt
in exercitu Cæsaris, libellum in nostram urbem mis-
sum plenissimum convitijs & contumelijs, ut typis
vulgetur. Itaq; cum mei cives peterent se recipi in
gratiam Cæsaris, hoc maximè objectum est eis, quod
permittant, ut in urbe ipsorum excudantur contu-
meliosissima scripta aduersus τὴν ἀντιπερίτρον, ideoq;
eos meritos vastationem. Sed quia nec libellus erat
apud nos typis excusus, nec cives mei scirent, quid
actum esset, data est venia. Vides igitur, etiam tu-
um libellum penè fuisse vastationis nostræ urbis oc-
casionem. O cælum, ô terra, in quæ tempora in-
cidimus; & quæ tandem eventura sunt orbi terra-
rum! ô ἀντιπερίτρον nondum mutat Religionem in ijs
urbibus quas recepit, nec grassatur in ministros, nec
mihi hoc tempore aliquod periculum evenisset, nisi
conciones quæ fuerunt modestissimæ, & preces
pro nostrorum victoriâ, periculum creassent. Usi
enim aliquoties sumus eâ formulâ, quam D. Pome-
ranus, vel ut puto, Philippus præscripsit. Hæc vo-
lui tibi perscribere copiosè, ut finas tibi salutem ami-
ci jam in senectute exulis, & tam miseri, in precibus
curæ esse coram Domino. Nolui de eâ re Philippo
scribere, ne ad cumulum miseriarum, quibus scio eum
hoc tempore plurimum esse afflictum, etiam meum
istum Tragicum casum adiicerem. Non sum fra-
cto animo divinâ clementiâ. Sed nisi commoverer
calamitate meæ familiæ (nam de me non sum valde
sollicitus)


sollicitus) ferreus essem, et quomodo possem Domi-
num, pro salute ejus inuocare? Destitutus sum om-
ni humanâ ope, et quo terrarum me vertam, nescio.
At non dubito, quin quo magis contrito & humi-
liato sim spiritu, eo propior mihi sit Deus, et sic
daturus felicem euentum. Porro possum, quæ mihi
accidunt, ferre, Dno. Philippo commemores, ut &
ipse pro me Dominum precetur. Scripsissem etiam
D. Joachimo Camerario, sed nescio an tutò literæ
mittantur. Nam postquam exercitus principum à no-
bis discessisset, audivimus ducem Mauritium oppug-
nare Uitebergam, & scholam à Domino Philippo,
& te Magdeburgum esse translata. Nihil interim
certi de rebus Saxonis, vel Hessiacis cogno-
vimus. Quare facies mihi rem gratam, si D. Jo-
achimo per occasionem pauca de rebus nostris scri-
bas. Cum hæc seiberem ὁ ἀυτοκράτωρ adhuc hære-
bat Halæ, & ego latebam sex aut septem miliaribus
Halâ, in agro, expectans nuntii de meâ familiâ &
reliquis ejus adventum. Quid fiat de Argento-
rato, Ulmâ, & Augustâ nescio. Breviter, quocunq;
respicio video omnia bello ardere, & esse Casarcana.
Quare cum nulla terra me capere possit, rogo Deum,
ut cœlum me capiat. Bene & feliciter amicissimæ
mi Major vale.

JOHANNES BRENTIVS

Tuum

exul IESU CHRISTI

FILII DEI.





ULB Halle

3

004 780 302



all 1437

1077




Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

KODAK Color Control Patches

Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



8
QK.
IC

IC

2042
5332
B. m. II, 478 a
ENTII
RRIMI

SUO
a

MORSII

ианочум,
STI

